1767

Autoribus ejusdem admissum fuerit, ubi quippe Ambrosio textus ille tribuatur: *Hoc constitutum est a Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum*; qui tamen non sit Ambrosii. Non desunt (fateor) qui, nodum isthunc fere insolubilem rati, concedant, ea verba non apud Ambrosium, verum apud Chrysostomum inveniri. Nihilominus D. Mentzerus *Exeges. pag.* 203. ea Ambrosio assignat, annotans, extare ea *Tom. V. in* 1. *Cor. I.* Nec reclamat inspectio editionis Basileensis Ambrosianæ de anno 1567. *pag. m.* 244. ubi ipsissima hæc leguntur verba. Jam ergo licet nulli inficiemur, Scriptis Ambrosii suppositiiis Commentarios illos in epistolas Paulinas annumerari; id quod tum Rivetus *Critic. Sacr. pag.* 317. innuit; tum etiam *Gerhardus noster Patrolog. 281. & seqq.* ex quatuor rationibus, nimirum (1) ex allegationis Augustinianæ prætermissione (2.) ex contentorum examinatione (3.) ex alterius cujusdam Autoris denotatione (4.) ex doctorum virorum testificatione, probatum it: Neuter tamen horum Autorum Erasmi Roterodami testimonium prætermisit, neuter repudiavit, improbantis quidem illorum Commentariorum argumenta, ut quæ non sint Ambrosii, sed inepti cujusdam consarcinatoris; IN IPSIS VERO COMMENTARIIS NIHIL ADMIXTVM ALIENI SE COMPERIISSE, profitentis. Imo addunt, Sixtum Senensem (quantumvis Erasmo citeriorem) Ambrosio itidem hos tribuere Commentarios, quos breves quidem in verbis, sententiarum tamen pondere graves pronunciet. Proinde *Chemnitius noster* non dubitavit hunc eundem locum Ambrosio ascribere, & cum aliis ejusdem Patris locis, quæ particulam SOLA de fide justificante usurpant, conferre *LL. Theol. part. II. p. m. 286. edit. in fol.*

PARARO-MA I.)

VI.

Quæ si in timore Domini pensitamus, apparet, alle-